

D E O D U C E

MEDITATIO SANCTÆ EPISTOLÆ

FERIÆ PRIMÆ

P A S C H A T O S.

Additis S. Patrum dictis Quæstio-  
numq; aliquot decisione, ad uberio-  
rem textus cum opus  
est explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M

*In Regia Aboënsi Academia,*

ÆSCHILLO PETRÆO, S. S.  
Theolog. Doctore & Episcopo Aboënsi,

*Examini subicit, in Auditorio Majori, horis solitis**Ad diem Febr: Anni 1654.*

LAURENTIUS L. LAKENIUS  
Wasboëns-Wermel. Resp.

*Ambrosius in hunc locum.*

Hortatur Apostolus ut secundum professionem suam, quam ab Apostolo sub  
nomine Christi acceperant, & viverent iam vitæ novæ cultores, h. e. azy-  
mos esse.

*Hieronymus hunc in locum.*

Iudæi quidem Septem diebus Azyma comedebant. Nos vero semper si simplici-  
ter & pure versetur. Quotidié agnus nobis occiditur & pascha quotidie cele-  
bramus, si fermentum malitiæ & nequitæ non habemus.

A B O Æ.

---

Excusa Typ. Acad. apud Viduam Petri Wald; 1653.

1800

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

PA 8 CHA TOS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

PA 8 CHA TOS

PA 8 CHA TOS

PA 8 CHA TOS

PA 8 CHA TOS

MEDITATIO S. EPISTOLÆ  
FERIÆ PRIMÆ  
PASCHATOS.

In Sanctæ & Summæ Laudandæ Trinitatis, Patris, Filii,  
& Spiritus Sancti nomine,

**C***Alicem Salutaris accipiam & nomen Domini  
invocabo. Vota mea Domino reddam coram o-  
mni populo ejus. Psal. 116. v. 14, 15. Quibus  
verbis Psalmista indicat se paratum esse ad agendas Deo  
gratias, non modo privatim & in silentio, sed in publi-  
co Ecclesiæ conventu coram toto populo, pro insigni-  
bus Dei beneficiis, videlicet dum liberat nos à magnis  
periculis & necessitatibus animæ vel corporis, conve-  
nit Ecclesia tota Deo gratias agere publicè & solenniter,  
cum vel tota liberata est à magno aliquo periculo, vel  
quando aliquod ejus membrum Dei manum, vel aliquod  
incommodum & infortunium evasit, Psal. 117: recita-  
tur aliquot periculorum catalogus, unde solus Deus li-  
berat, & illi qui liberantur, obligantur ad publicam gra-  
tiarum actionem. Si tota Ecclesia liberatur, omnes in-  
vitantur ad laudes & gratiarum actionem, tunc videli-  
cet dicendum: Confitemini Domino quoniam bonus,  
quoniam in seculum misericordia ejus. Dicat domus I-  
srael, misericordia ejus durat in æternum. Dicat do-  
mus Aron, misericordia ejus manet in æternum. Di-  
cant omnes timentes Dominum bonitas ejus manet  
in æternum. Psal. 118. v. 1. 2, 3, 4. Laudate Dominum*

omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam misericordia ejus & veritas confirmata est super nos in æternum Haleluia. Psal. 113. Secundò exponit Psalmista in his verbis peculiare Dei beneficium, quod omni populo, & toti Ecclesiæ est commune, cuius omnes participes facti. Prætiola, inquit, est mors sanctorum coram Domino. Etiam si, vero omnium sanctorum & piorum mors, licet videatur coram mundo contemptibilis, tamen in oculis Dei magna res est, delectatur illorum patientia & coronat illam æternâ beatitudine propter Christum. At sicut Christus est omnium sanctissimus, ita etiam ejus mors prætiolissima, ita prætiola in conspectu Dei ut, per hanc omnes homines ab æterna morte liberati sint, modò credant in eum. Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat sed habeat vitam æternam Ioh. 3. Pro v. beneficio Dei, quod dederit filium, filio qui venit pre mundo moriens, s. sancto qui hoc nobis revelavit & fidem dedit in Christum mortuum, debemus gratias, præsertim vero hoc festo, quo resurrectionem Christi recolimus, & quidem hoc cantico lætantes canamus Haleluia &c.

**O** Remus igitur DEUM, ut hodiernum festum ita celebrare Epistolam ita meditari queamus, ut cedat in nominis Divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrina & bonorum operum, in spem & fiduciam, & tandem in æternam beatitudinem: Dicamus igitur, Pater noster &c.

## Textus I. Cor. 5. v. 6. 7. 8.

**N**on est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Ex-  
pur-

*purgate igitur vetus fermentum, ut sitis uova conspersio, sicut estis azymi. Etenim pasca uostrum immolatus est Christus. Itaq; epulemur: non in fermento veteri, neq; in fermento malitia & nequitia: sed in azymis sinceritatis & veritatis.*

**A**nte recitatum textum, præmittit Apostolus quærelam & accusationem gravem contra Corinthios, quod patiantur apud se quendam, qui contraxit matrimonium in gradu prohibito videlicet cum novercâ sua. Quod conjugium sub maledictionis poena interdictum Deut. 27. v. 20. arguit Corinthios, quod iusque deque habent hoc factum, sunt inflati, quasi rectè factum. Ideoque Paulus istam sumit sibi potestatem iudicandi de hoc facinore, & quia non erat ei iudicium temporale commissum, pronunciat sententiam, iuxta potestatem Ecclesiasticam & à Christo commissam. Matth. 18. excommunicans hunc virum & tradens eum Sathanae ad interitum Carnis, ut Corpus ejus vexetur & malè afficiatur à Sathana & ita discat timere Deum & petere peccati sui remissionem & sic iterum restituatur Ecclesiæ & salvus fiat. Qui finis est excommunicationis, ut vexetur caro, sentiat se excludi à cõmunionem Ecclesiæ, haberi pro Ethnico, ut Spiritus salvus fiat, ut rescipiscens gratiam Dei consequatur & salvus fiat. In hoc textu ostendit rationem quare non rectè faciunt Corinthii, patientes apud se talem incestuosum hominem, cum talis sit instar fermenti, quo fermentari possit, hoc est deterior fieri ad peccandum adducitur tota Ecclesia. Monet ut expurgetur vetus fermentum qualecunque sit peccatum inveteratum, ut sint nova massa, sicut aliàs sunt veri azymi sive non fermentati.

tati. Siquidem jam exhibito Christo, vero agno paschali, etiam Christiani habent pasca Spirituale, quo debent expellere non tam fermentatum panem, quam malas cogitationes & actiones, abolere malitiam & nequitiam & amare innocentiam & veritatem. Admonemur præcepti sexti, vitandas esse vagas libidines & gradus prohibitos conjugium trahere volentibus. Confirmatur fides nostra de Christi passione & morte, nec non resurrectione. Excitatur ad orandum: Fiat voluntas tua &c.

P A R T E S:

*I. De præcepto Apostoli, ut per totam ætatem expurgetur à christiana vita fermentum b. e., omnis malitia & nequitia.*

*II. De informatione Apostolica, rectè celebrandi Pascha in Novo Test: quotidie.*

Atq; hæ sunt istæ partes, quas hæc vice breviter & simpliciter tractare constituimus: *Omnipotens & æternus Deus, Pater noster cælestis dilectissimus, nobis omnibus benedicat, cunctaq; utiliter & fructuose cedere faciat*

P R I M A P A R S

In quâ meditamur.

**I. Quis alloquitur Corinthios** ac dicit: nonne scitis quòd parum fermenti, fermentet totam massam, expurgate vetus fermentum. Ita alloquitur Ecclesiam Corinthicam  
Aposto-

Apostolus Paulus electum Dei organon & doctor gentium. Non erat secretum hoc factum, hic incestus, quem arguit Apostolus sed manifestum, fama illius pervenit ad Apostolum, cum esset Philippis. Per omnia, inquit Apostolus, auditur, hoc est, communis est fama, non unius sed multorum est relatio, quod ita factum sit inter vos, sicut scripsi vobis. Sed vult Apostolus dicere, video neminem vestrum hoc curare & habere pro illicito, cum tamen tale sit factum, ut attrahat personis istis, ita junctis in gradu prohibito maledictionem Deut. 27. Et priores terræ Canaan incolæ propter ejusmodi connexiones expulsi sunt de sua terra. *Levit. 18, v. 24.* ad finem capitis. Quia vero omnes tacent & tacendo videntur consentire in hoc factum quasi rectè factum, & sic vestra indulgentia & conniventia accersitis vobis divinam maledictionem, cogor ego vos accusare & hoc factum, ut feci puniri pœnæ Ecclesiasticæ excommunicatione, Huic meæ sententiæ etiam vos debetis subiicere, sicut populus Israeliticus iubebatur dicere Amen, ad pronunciationem maledictionum adversus diversa peccata,

*L. C. Ministrorum verbi est, diligenter observare vitam & mores auditorum. Quomodo vivant*

quomodo observent, quomodo custodiant quod audiunt. Dicit Christus: Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Ita precipit Apostolus, Act. 20. v. 28. 29. 30. Cavete vobis & toti gregi. Hæc dum animadvertunt auditores, nihil dici, nisi quod sit consilium Dei, verbum Dei, in verbo Dei fundatum, non se opponant, & resistent, non consentiant illis qui malè vivunt; sicut etiam hic Corinthii faciunt, acquiescunt in Pauli doctrina, & pœna inflicta incestuoso. Ita populus Deut. 27. debet respondere Amen, recitata maledictioni adversus peccata quædam enormia.

II. Quid ponat fundamenti præcepti de expurgando, veteri fermento scitis, inquit, quod parum fermenti fermentet totam massam, q. d. non longè ab eo, non duco vos ad sublimem scripturam, docebo vos ex quotidiana experientia de fermento, re mirabili, cujus mira vis, licet parum indatur massa tamen penetrat totam illam massam & secundum omnes partes, illam infermentat, ut nihil reperiat in ea, quod non sit fermentatum & vim ejus sentiat. Ita est, si quis in Ecclesia est petra scandali, malè vivat, contra aliquod præceptum delinquat, & in eo perseveret, multi inde scandalizentur, intelligentes non argui, non puniri talem facinorosam. Ideoq;  
viden-



*videndum ne tales notorii peccatores impunes manent. Itaque Apostolus hic non ostentat magnam sapientiam, non citat multa scriptura dicta ad hoc probandum, quod mali impunè vivendo, multi indè fierent deteriores. Ideoq; non semper & omnia probanda dictis scriptura, qua per se sunt & ex natura manifesta, nisi dum opus est, in rebus gravioribus Theologicis utrumque conjungimus & scripturam & naturam.*

L. C. Ministri verbi familiariter doceant, sicut parentes liberos suos, non ut confundant eos, cum sint dociles, sed ut simplici informatione erigant in bono, informant & erudiant ac doceant. Ita Christus suis parabolis sapius informavit.

Christus etiam usus similitudine à fermento, quando voluit suos auditores monere ut caveant sibi à falsa doctrina Phariseorum & scribarum, Cavete, inquit, à fermento Phariseorum Matth. 16. cavete à fermento Phariseorum & fermento Herodis Marc. 8. Luc. 12. ubi fermentum sumitur ad declarandam vim & efficaciam malæ & falsæ doctrinæ.

Christus hac voce fermenti utitur ad designandam vim Evangelii ubi admittitur, & recipitur, quod potentia Dei ad salutem omni credenti sit Rom. 1. Ita Christus Matth. 13 v. 33. Simile est regnum cœlorum fermento, quod accipiens mulier abscondit in massa, donec totam fermentaret Luc. 13. v. 20.

Et ita Deus per creaturas suas etiam docet nos & per illas, quas quotidie ferè tractamus. Ita à Senioribus in familia dum pinsitur, fermento utimur, liberi

alloquendi : Cum tractamus fermentum , videmus quam  
tam efficaciam habet. Agamus Deo gratias pro hoc  
mirabili condimento , quo ita panem nostrum reddit  
sapidum & salutare corporibus nostris, aliàs enim sine  
fermento, bonus esse panis non potest. ideoque panis  
in fermentatus, vocatur panis afflictionis quia non ita  
nutrit, non est ita salutaris corporibus nostris. Talis pa-  
nis factus à vidua Zareptana ; sine fermento, urgente fa-  
me pinsuit, prout 1. Reg. 17. v. 8. ad 17. Talis erat pa-  
nis quem ederant ex Ægypto exeuntes non potuit mas-  
sa fermentari. Sed cavenda mala exempla excitialia &  
scandala & nos corrumpentia vitiorum fermento, ut  
caveamus nobis ne scandalizemur, procul simus ab illis,  
qui alios fermentant impuris colloquiis, gestibus, operi-  
bus. Cogitandum de efficacia verbi Dei & doctrinæ  
cælestis, quòd illa amplectenda. Cogitandum in con-  
trariam partem de efficacia falsæ doctrinæ, quæ etiam  
fermentum nominatur. Cavendi falsi doctores, eo-  
rum doctrina. De qua etiam Apostolus dicit quòd ser-  
pit ut gangrena, 2. Tim. 2. ita Christus inquit, cavete  
vobis à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestitu ovi-  
um, intrinsecus, sunt lupi rapaces. Matth, 7.

**III. Fermenti expurgandi de**  
nominationem & appellationem. Vocat Apostolus  
hoc fermentum vetus, Expurgate inquit, vetus fer-  
mentum ut sitis novum fermentum, sicut etiam estis  
in fermentati ; Præcipit hinc Apostolus ut expurgetur ve-  
tus noxium illud fermentum, deindè jubet fieri novum  
sicut, inquit, estis azymi. Vetus fermentum vocat ma-  
litiam vel fermentum malitiæ, & nequitia, quando quis  
pergit in peccato ut fiat vetus fermentum. Qui cadit  
non

non curat ut surgat, incipit retrocedere ab humana in firmitate & declinare ad diabolicam indurationem, sicut Pharaeo perseveravit in peccatis, & factus vetus fermentum. David vero mox ut se agnoscit peccasse, petit veniam & impetrat etiam. Latro in cruce agnoscit in se aliquod fermentum, propter quod merito proijceretur in infernum, sed confugit ad Christum, dicens: memento mei Domine cum veneris in regnum tuum & ederit Christus responsum: hodie mecum eris in paradiso.

*L. C. Omnino videntum ne reddamur vetus fermentum ne perseveremus in peccatis nostris. Filius prodigus fuit fermentum & quidem malum & nequam, & non fuit dignus ut vocaretur tam boni patris filius: Sed respiciens pergit ad patrem petens veniam & impetrat, & fit novum fermentum filius obediens. Patravit facinus, fermentum malitia, flevit, noluit esse vel fieri vetus fermentum. Imitemur & nos horum exempla, expurgemus vetus fermentum, ne perseveremus in malitia & peccatis: Hodie si vocem ejus audieritis nolite obdurare corda vestra. Caveamus ne hac veteri malitia scandalizemus Dei Ecclesiam. Va huic per quem venit scandalum Matth. 18. Caveamus fermentum falsae doctrinae.*

**IV.** Quæ ratio Apostoli, quaere fermentum vetus, perseverantia in peccatis, in falsa doctrina, cavendum & expurgandum. Estis, inquit, azymi. Quod doctrinam estis Christiani & ita

*sine fermento, date operam ut vita consonet professione, ut imitemur Christum qui dixit: discite à me,*

L. C. Christianismus non movebit ad peccatum, nomen hoc honoris, ut simus imitatores Dei. Hoc nomen alios mores postulat, integritatem in vita, moribus & doctrinâ. Orandus Deus ut ita vivamus, ut vita nostra placeat Christo à quo denominamur. Vir ad aliquem gradum perveniens, si bonus est, majorem operam dat honestati vitæ & civilitati morum, præsertim vero humilitati, ut dicit Syrach: quânto majores, tantò te geras submissius. Humilitas mater reliquarum virtutum.

## SECUNDA PARS

*Fuit prima pars in admonitione ad expurgandum vetus fermentum h. e. malitiæ & nequitiæ, altera pars habet informationem Apostolicam de recta celebratione paschatis.*

In quâ meditamur :

I. Quale Christianorum Pascha? Celebremus Pascha, inquit Apostolus. Loquitur Apostolus juxta illius temporis & antiquam consuetudinem, vocans festum Judæorum etiam pascha Christianorum; quamvis propriè loquendo Christiani non habent pascha more judaico & juxta illam appellationem

nem V. T. nam vox undè pascha derivatur significat transitum illum videlicet quando Angelus perambulavit omnes domos in Ægypto interficiens omnem primogenitum in Ægypto & transilivit domos Israelitarum, quorum postes erant illiti sanguine agni paschalis: in cujus memoriam, etiam propriè Pascha Judæorum celebratum. Christiani vero propriè loquendo, celebrant festum resurrectionis Christi. Quia verò & Judeorum & Christianorum Pascha in eo conveniunt, quod ut in Judæorum festo fermentum illud ciborum non tolerebatur, ita nec in Paschate Novi Testamenti toleretur fermentum malitiæ & nequitiae.

*L. C. Operam itaque demus ut exulet fermentum malitiæ & nequitiae, odii indulgentia &c. Recordemur, ut inquit Apostolus, quod noster agnus Paschalis est Christus mortuus pro nobis, ex sola charitate & amore erga nos, quòd etiam intercesserit pro hostibus suis, non maledixit maledicentibus sibi, jubet Christus ut discamus ab illo. Miserum est aliis quos ita flagrare odio, ut nunquam videntur velle remittere. Remittite & remittetur vobis; nolite malum pro malo reddere, benè loquimini de persecutoribus vos.*

*L. C. Admonemur etiam cum Apostolo, ut epulemur vel festum celebremus Paschatos absque fermento malitiæ & nequitiae, ut sacrâ canâ piè & dignè atamur, ut removeamus à nobis veteris Adami malitiam & expurgemus eam, & in Christum pro no-*

*bis passum, crucifixum & mortuum firmiter credamus; sic enim verè digni sumus, ut Lutherus dignitatem hanc describit in sua Catechesi. Iejunare, inquit, & corpus suum praparare est quidem bona & externa disciplina, verum ille est verè dignus, qui fidem habet in hæc verba: Pro vobis, requirunt corda credentia.*

**II. Quòd quotidie celebrandum Pascha.** Non addit hodiè aut illo die qui Pascha dicitur: sed omni die, sicut omni die indigemus pane, sic edimus & bibimus læti, ut sit cor nostrum sine malitia sine nequitia; sit ornatum innocentia, integritate & veritate & simplicitate. Vult ut non nomine, tur inter nos avaritia, scortatio, ira &c. ut quemadmodum Christus mortuus est & resurrexit ita nos mortui peccatis, vivamus cum Christo, in vita Christo placente.

*L. C. Qui rectè meditantur resurrectionem Christi etiam operam dant resurrectioni à vitiis & veteribus sceditatibus, impuriatibus, odiis, &c. aliàs non rectè celebrant pascha. Nam Christi resurrectione non modò est nobis utilitati ad vitam æternam, ad nostram justitiam & resurrectionem, ut relictis vitiis, cum eo vivamus in sanctitate & justitia. Philipp. 2, v. 5. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, v. 6. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem DEO. v. 7. Sed semetipsum exinanivit formam*

*mam servi accipiens, in similitudine hominum factus,  
& habitu inventus ut homo. v. 8. Humiliauit semet-  
ipsum, factus obediens usq; ad mortem: mortem au-  
tem crucis. Philip. 1. v. 27. Tantum dignè Evan-  
gelio Christi conversamini: ut siue cum venero &  
videro vos, siue absens, audiam de vobis quia statis in  
uno spiritu, unanimes, collaborantes fidei Euangelij. Phi-  
lip. 2. v. 12. Itaq; charissimi mei, (sicut semper obedisti)  
non ut in presentia mei tantum, sed multò magis nunc,  
in absentia mea, cum metu & tremore vestram  
salutem operamini. v. 13. Deus enim est qui operatur  
in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate.  
v. 14. Omnia autem facite sine murmurationibus  
& hesitationibus, v. 15. ut sitis sine quærela, & sim-  
plices filii Dei sine reprehensione in medio nationis  
pravæ & perversæ. Inter quos lucetis sicut lumina  
in mundo. v. 16. Verbum vitæ continentis in  
gloriam meam in die Christi, quia non invacuum  
cucurri, neque invacuum laboravi.*

**C**lementissime Deus pater cœlestis, doces  
nos expurgandum esse vetus fermentum.  
Hoc vero adeò nobis inhæret, ut illud sine tuo  
auxilio expurgare vix queamus. Oramus ergò  
te, ut crees in nobis cor mundum & des no-  
bis novum Spiritum. Per & propter filium tu-

um Dominum Jesum Christum, qui tecum & Spiritu sancto vivit & regnat in sempiterna secula. A M E N.

Benedictio, & Claritas & Sapientia, & Gratiarum actio, & Honor, & Virtus, & Fortitudo, DEO nostro, in secula seculorum, Amen. Apoc: 7:12.

## Quæstiones.

### I.

**A**n ex hoc loco Apostoli, Christus Pascha nostrum: itaque epulemur in azymis &c. sacrificium missæ hic à Paulo asseri ut vult Bellarminus? Resp. Negando.

*Neque enim agnus Paschalis, sacrificiis Missæ erit figura, nam immolatio agni paschalis cruenta fuit; sacrificium vero Missæ Pontificium est incruentum.*

### II.

**A**n homo possit expurgare fermentum malitiæ & nequitiae? Resp.

*Propria quidem virtute id fieri non potest. Commendat vero nobis Apostolus pium studium puritatis & candoris. Vult ut Christiani habeant animum verè studiosum puræ & incontaminatæ vitæ & ut id studium sit serium, non simulatum non hypocriticum.*